1


0 003 046 560 A

HOMERUS

QUID DE PERFECTA CORPORIS HUMANI FORMA POTISSIMUM DE DEORUM FORMIS IUDICAVERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT



ALBERTUS SCHAEFFER.

IENAE, 1874.
TYPIS RATII.

Ut artis Graecorum plasticae pulchritudinem plane cognoscamus, non monumenta tantum, quae aetatem tulerunt accurate contemplemur necesse est, sed etiam ea percipiamus, quae veterum scriptores sive separatim sive obiter de illa arte ejusque re gravissima, corporis forma[1]) memoriae tradiderunt. Illa enim monumenta, etsi magna quidem admiratione et voluptate nos contemplantes afficiant, tamen artificiosam compositionem, quae summa est et sola pulchritudo docere non possunt; quam tum demum perspiciemus, quum ex scriptis leges atque normas didicerimus ex quibus artifices opera sua formarunt.

Atque optimam quidem perfectae corporis formae descriptionem nobis offerunt scriptores, qui physiognomici vocantur, qui non solum de faciei optima forma (id quod nunc ex illo nomine conjicimus), sed totius corporis scripserunt. Praestantissimi autem habentur Aristoteles, Adamantius, Polemo, Melampus, Mauropus.

Deinde etiam alii scriptores, etsi de arte plastica non separatim egerunt, tamen quod in eorum scriptis interdum artificia commemorantur et describuntur ad artis cognitionem permultum contulerunt velut periegetae, qui vocantur, Pausanias, Strabo; Diodorus, Philostratus, Plutarchus, alii. Deinde Romanorum scriptores occasione oblata Graecorum scriptoribus etiam accura-

1) Müller archaeol. 1848. pg. 467, 1. Schiller Naive und sentiment. Dichtung XVIII, 232.

tius[1]) de illa arte scripserunt, ut Plinius, Cicero, Suetonius, Horatius, alii.

Denique commemorandi sunt Graecorum poetae et epici et tragici et lyrici, quorum epicorum principes Homerus et Hesiodus, qui secundum Graecorum ipsorum sententiam primi deos certa specie humana praeditos finxerunt, jam antiquissimis temporibus deorum fictores et magistri auctoresque artificum habebantur[2]).

Neque vero tragici neque lyrici poetae minus observandi sunt, quorum principes Aeschylus, Sophocles, et Pindarus deos, qui antea humanis vitiis affecti cogitabantur, animi virtutibus exornaverunt majestate et dignitate, ita ut illi demum excelsos deos, non divinos modo, ut ita dicam, homines finxisse videantur. Quamobrem in historia quidem graecarum rerum divinarum et in arte jam florenti illi maximi momenti sunt, in primordiis artis Hesiodo et imprimis Homero summa auctoritas attribuenda est.

Itaque et quod idem respiciendum est, quod artifices ipsi contenderunt, se in fingendis statuis poetarum praecipue Homeri rationem habuisse[3]), jam pridem inquirere oportuit,

‚quid Homerus de perfecta corporis forma judicaverit'

ut et quos progressus ars plastica fecerit postero tempore et quanti aestimandi sint, satis perspicere possimus.

Neque tamen adhuc quisquam ex viris doctis hanc quaestionem tetigit; id quod eo factum esse puto, quod aut vetustissima ars Graeco-

---

1) Müller archaeol.

2) cf. Herod. II, 53. οὗτοι δέ εἰσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησιν καὶ τοῖσιν θεοῖσιν τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες. cf. praet. Schnaas. Gesch. d. bild. Künste II, pg. 4. Die frommen Griechen sprachen es ohne Scheu aus, dass Homer und Hesiod die Götter gemacht hätten. . . . . .

3) cf. Strabo geogr. VIII, 3. ἀπομνημονεύουσιν δὲ τοῦ Φειδίου, διότι πρὸς τὸν Πάναινον εἶπε πυνθανόμενον, πρὸς τί παράδειγμα μέλλοι ποιήσειν τὴν εἰκόνα τοῦ Διός, ὅτι πρὸς τὴν Ὁμήρου. . . . praet. cf. Valer. Maximum III, 7.

rum (quae res inter omnes constat,) et ejus modi quaestiones priore tempore parum existimatae sunt, aut quód ob leves et parum accuratas corporis descriptiones ita disserere, ut qualis sit et quibus in rebus versetur perfecta corporis forma plane cognoscere possimus, difficile et non satis fructuosum esse videbatur.

Poeta enim, qui nihil aliud expetit, quam ut narrando omnium exspectationem quam maxime moveat in describendo corpore multo minus diligens atque accuratus esse potest, quam artifex in fingendis statuis, easque tantum partes et persaepe verbis veritatem non satis servantibus describit, quarum descriptiones ad augendam exspectationem et ad exornandam narrationem conferunt[1]), reliquas autem, quarum descriptiones artifici quidem non minus sciendae sunt lectori autem leves videntur facillime omittit, ut narrationi moram supervacaneam evitet[2]).

Neque equidem, qui de hac materia scribere mihi proposui, demonstrare conor, corporis formam in Homeri carminibus tam distincte descriptam esse, ut artifices ex hac descriptione accuratissime et facillime statuas formare possent sed tamen satis fructuosum habeo ex his, quae de corporis forma ab Homero hic et illic dicta sunt compositis ea expedire, quantum fieri potest, quae illo tempore perfectam formam effecerunt, quoniam haec carmina monumentum sunt antiquissimum, quod de arte plastica nobis quaedam tradidit et quod artifices ipsi se Homeri dicta respexisse confessi sunt.

Ac materiae quidem dispositio, quam sum secuturus in hac dissertatione haec est, ut exponam, quid Homerus judicaverit

I, de perfecta corporis forma in universum,

II, de deorum forma specialiter.

---

1) cf. descriptiones corporis Junonis, Thersitis, aliorum.

2) cf. Lessing Laocoon 135. Stuttg. 1869.

I.

Ac primum quidem ad humani corporis formam aggrediar, cujus non exiguam cognitionem Homero fuisse ex ejus carminibus satis elucet, ubi in commemorandis vulneribus, quae viri fortes acceperant fere omnes corporis partes accuratissime enumerantur, ut caput, tempora, frons, nares, os, mentum, cervix, fauces, humeri, pectus, alvi partes, manus, pedes[1]). Atque quoniam consentaneum est, eum, qui membra corporis tam accurate noverit, facile dijudicare posse, qualia esse debeant, ut perfecta habeantur, Homerus etiam de perfecta corporis forma, de qua in arte plastica potissimum quaeritur uberius in carminibus suis dixit. Neque enim Thersitem tantum describit, quem deformissimum virum exercitus Graecorum fuisse ipse narrat, quasi nos docens, quae corporis forma perfecta non sit habenda, sed etiam magna epithetorum copia usus est quum ad animi tum ad corporis virtutes [2]) spectantium ita, ut vix ullius viri fortis imprimis Graecorum, quos omnes summa pulchritudine insignes esse vult, nomen inveniatur, cui ejusmodi vox apposita non sit. Simili modo feminarum quoque pulchritudinem collaudat, quas omnino, quod idem hoc loco afferam, tam ingenuas, teneras,

---

1) *μέτωπον.* Il. IV, 460. *πλευρὰ* Il. IV, 468. *στῆθος παρὰ μάζον* Il. IV, 480. V, 145. *βουβὼν* Il. IV, 492. *κοτύλη* Il. V, 306. *παρ̕ ὀμφαλὸν* Il. IV, 525. *πνεύμων* Il. IV, 528. *λαιμὸς ὑπ' ἀνθερεῶνα* Il. XIII, 388. *ἧπαρ ὑπὸ πραπίδεσσιν* Il. XI, 579. *κληῒς παρ̕ ὤμων* Il. V, 146. VIII, 325. *κατ' ἰνίον* Il. V, 73. *μετάφρενον* Il. V, 40. VIII, 259.

2) *καλός* Od. XI, 522, 529. *θεοειδὴς* Il. II, 632. III, 16; 27; 30; 37; XIX, 327. XXIV, 217. Od. VII, 231. X, 205. XX, 350. *κάλλεϊ στίλβων* Il. II, 673. *εἶδος ἄριστος* Il. II, 768 Od XXIV, 17. *ἐΰς* Il. II, 819.

mites descripsit, ut poeta posteriorum temporum hac quidem in re Homerum non modo non superarint, sed ne consecuti quidem sint[1]).

Neque vero in universum tantum Homerus corporis pulchritudinem collaudat, sed etiam accuratius exponit, quibus in rebus illa versetur. Ac de totius corporis forma quibusdam normis usus est, quibus judicium suum direxit. Legimus enim in Od. VI, 152[2]) Ulixi Nausicaam simillimam Dianae visam esse

εἶδός τε μέγεθός τέ φυήν τε;

quorum verborum φυὴ ad staturam, quae ut corporis forma esset perfecta, recta[3]), μέγεθος ad magnitudinem, quae ingens[4]), εἶδος ad universam corporis speciem, quae apta compositione membrorum validorum teretumque insignis esse debebat, referenda sunt.[5]) Deinde vis utriusque vocis et φυὴ et εἶδος etiam latius patebat et utraque vox omnino ad formositatem spectans, altera pro altera usurpata est.[6]) Quamobrem locis, quos supra commemoravimus exceptis Homerus tantum duabus vocibus usus est, ut corporis formam describeret, velut in Il. I, 115. Od., VII, 210. V, 212 ubi praeterea vocem δέμας usurpatam legimus, qua poetae usi sunt cujusque significatio a radice „δεμ‘ derivanda in universum corporis est figura. Quam explicationem rectam

1) cf. Schnaasium II, 119. Jene edle Gestalt der Weiblichkeit, welche wir in der Penelope, Andromache und Nausikaa des Homer erkennen, finden wir nun (i. e. post. temp.) nicht mehr. Die Frauen wurden entweder mehr oder weniger in oriental. Abgeschlossenheit gehalten.......... oder sie erhielten eine der männlichen ähnliche Erziehung, bei der das eigentlich Weibliche ohne Ausbildung blieb... 2) cf. praet. Il. II, 58. XXII, 370. Od. VI, 16. 3) cf. Thersit. descript.

4) μήκιστος καὶ κάλλιστος Il. XI. 309 Od. I, 301. III, 199. 5) Il. VIII, 288. V, 787. Od. XXI, 334. = Il. X, 316. Od. V, 217. 6) cf. Od. V. 212—217. ubi Circe Ulixi dixit, se eadem perfecta forma esse, qua Penelope οὐ. . . . . χερείων εὔχομαι εἶναι οὐ δέμας οὐδὲ φυήν. . . et in sequenti versu causam afferens.

ἐπεὶ οὔπως οὐδὲ ἔοικεν
θνητὰς ἀθανάτῃσι δέμας καὶ εἶδος ἐρίζειν,

usurpavit vocem εἶδος eodem sensu, quo ante φυή.

esse ex eo elucere puto, quod illam vocem neque alio verbo accuratius definitam legimus nisi μικρὸς[1]) aut ἄριστος[2]) neque usquam cum voce μεγεθος, sed tantum cum φυὴ aut εἶδος[3]) conjunctam; denique quo magis illa sententia confirmetur, etiam versus in Od. V, 217 squ. conferantur, ubi Ulixes Circes sententiam confirmans:

. . . . οὐ χερείων εὔχομαι εἶναι οὐ δέμας οὐδὲ φυὴν

dixit: . . . . οἶδα καὶ αὐτὸς
πάντα μάλ, οὕνεκα σεῖο περίφρων Πηνελόπεια
εἶδος ἀκιδνυτέρη μέγεθός τ' εἴςαντα ἰδέσθαι.

Neque vero satis esse corporis formam sive hac sive illa virtute excellere, sed, ut sit perfecta, omnes virtutes conjunctas esse debere dilucide ex descriptione Vulcani apparet, qui magnus quidem atque robustus tamen ob pedes valgos tenuesque claudus pulcher nominari non potest et Iri, illius in Ulixis aedibus mendici, qui ‚εἶδος quidem magnus, μάλα μέγας ἦν ὁράασθαι,' viribus autem et nervis egebat.[4]) Quapropter Minerva Ulixem miseriis afflictum, ut pulcher fierit μείζονα τε καὶ πάσσονα fecit i. e. plenis ac validis formis instruxit et tanto animo ut erectus ingrediens quasi major aspiceretur.[5])

Denique aliud momentum, quod nequaquam mittere possumus, eo efficitur, quod Homerus contra Aegyptios in dijudicandis corporis formis optime discrimina respicit, quae ex aetate et genere oriuntur. Nam, etsi omnes et feminas[6]) et viros magnitudine excellere vult, tamen plerumque juvenes[7]) permagnos gracilesque describit et quum virorum corpora musculosa (εὐπηγὴς[8]))

1) Il. V, 801. 2) Il. V, 801.

3) δέμας καὶ εἶδος in Il. XXIV, 376. Od. VIII, 116. XIX, 124. XI, 470.
μέγεθος καὶ εἶδος in Od. XXIV, 374. XI; 337. XX, 70.
δέμας καὶ φυή. in Il. I, 115. Od. V, 212. II, 58. VII, 210.

4) Od. XVIII, 4.

5) Od. VI, 230. VIII, 20. XXIII, 156. cf. praet. Od. XVIII, 70. μέλε' ἤλδανε

6) καλή τε καὶ μεγάλη Od. XVI, 158. VIII, 305. XVIII, 249. 251.

7) cf. Il. III, 210. Od. I, 301. III, 199. XVIII, 219.

8) Od. XXI, 334.

atque nervosa (θρασὺς) describuntur feminarum, etsi erant valida,[1]) tamen multo magis praestabant quadam mollitia et carnis abundantia (cf. ἁπαλὴ.).

Haec fere sunt, quae de universa corporis forma dicenda sunt; priusquam autem ad singularum corporis partium descriptionem accedamus, id tantum adjungere mihi liceat, omnium aetatum Homero potissimum juvenilem placuisse; sine dubio, quod corporis formatio plerumque illa aetate perfectissima est vel potius pleraeque perfectae formae conjunctae esse solent. Itaque Minerva, ut Ulixem pulchriorem redderet, δέμας καὶ ἥβην ὀφέλλει, i. e. speciem ei magni atque gracilis adolescentis restituit.[2])

Iam vero ad singulas corporis partes nos vertentes a capite ordiamur, cui ut parti praecipuae artifices semper maximum dederunt operam. Atque Homerus quoque praecipuam habuit partem sed vitae sedem non animi, cujus virtutes illo tempore non tanti habebantur, quanti corporis; quocirca vocem κεφαλὴ nonnunquam pro vita ipsa usurpatam legimus.[3])

Itaque etiam illa pars capitis, quae potissimum ingenium atque animi motus pronuntiat, vultum dicimus, multo minore diligentia descripta est, quam digna est; eo accuratius autem illae partes, quae corporis robur ponuntiant ac firmitatem, laudem apud Graecos summam.

Atque voces, quae in universum capitis pulchritudinem significant, saepissime usurpatas legimus, sicut in descriptione ceterorum membrorum. Vocatur Ulixis caput:[4]) κεφαλὴ καλὴ itemque Telemachi, filii ejus;[5]) Paridis[6]) et Teucri[7]) κρᾶς ἴφθιμον, Hectoris[8]) χαρίεν; denique Agamemnonis[9]) caput ob eximiam pulchritudinem cum Iovis comparatur. Quibus in rebus

1) Od. XVIII, 195. XXI. 6.

2) Od. XVI, 174. quocum loco cf. Od. XXIV, 348.

3) Il. XVIII, 82. 114. Il. XI, 55.

4) Od. I, 208. 5) Od. XVII, 39. 6) Il. III, 336. 7) Il. XV, 480. 8) Il. XXII, 403. 9) Il. II, 478.

capitis pulchritudo versetur, ex pulchritudine singularium partium cognoscemus. In universum forma globosa aut ovata pulchra habebatur; id quod ex cognomine deformi Thersiti dato φοξὸς[1]) conjicere possumus.

Atque ex singulis partibus frontis nusquam mentio fit, quanquam id quod antiquo tempore et nunc de ejus pulchritudine judicatur diversum est, neque nasi, cujus forma postea permagni erat momenti. Majore autem diligentia, etsi non tanta, quanta digni sunt, Homerus in describendis oculis usus est, qui recte animi imago vocantur et, quod vultui imperant eique vitam inspirant pars capitis gravissima habendi sunt. Quamobrem Achilles Patroclem misit, qui exploraret, quisnam ille saucius esset, qui ex pugna educeretur; nam quod ejus oculos non inspexisset, se eum agnoscere non potuisse:

ἄταρ οὐκ ἴδον ὄμματα φωτός.[2])

Quales oculi pulchri fuerint, quos Ulixi, qui laudatur περικαλλὴς ὄσσε,[3]) itemque Telemacho,[4]) qui omnino multis in rebus patri similis est aliisque attributos legimus, Homerus nos aperte non docet; attamen nescio an non ex nonnullis locis colligere possimus. Agamemnoni enim Jovis similes oculi attribuuntur, atqui, quoniam Iuppiter πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε omnia et in terra et in caelo conspicit — quamobrem postea ab Aeschylo vocabatur παντόπτης, — certe magnis oculis insignis putabatur; magni igitur et Agamemnonis et omnino pulchri oculi habendi sunt; quod idem ex illo cognomine feminarum βοῶπις plane apparet, de qua voce cf. femin. partes.[5]) Deinde, quod Achivi vocantur ἑλικῶπες,[6]) pulchros cogitamus — Passovii non aliorum sententiam secuti, qui vertunt: „leicht beweglich, munter — oculos bene arcuatos et rectos, non perversos,

1) Il. II, 219. 2) Il. XI, 614. cf. praet. Il. XIII, 65. 3) Od. XIII, 401. 433. 4) Od. I, 208. XVII, 239.

5) cf. praeterea Il. VIII, 349 ubi Hector describitur, Γοργοῦς (i. e. oculos truces magnosque) ὄμματ' ἔχων.

6) Il. I, 389. III, 190. 234. XVI, 569. XVII, 274. XXIV, 402.

quales dearum Precum, quae vocantur παραβλῶπες describuntur.[1]) Denique lucidi ac fulgentes oculi pulchri sunt habendi, id quod et magnae oculorum aciei et magni sagacisque animi habebatur. Itaque oculi acute cernentis et indagantis Menelai vocantur φαεινὼ[2]) et Neptunus Alcatheo, quem perdere vult, priorem oculorum aciem simulque prudentiam aufert i. e. eum perturbat,[3]) et Minerva Ulixis oculos, ut reliquo corpori deformi apti essent lippos formavit.[4])

Denique hoc loco aptissime afferre possum animum ab Homero non plane esse neglectum. Nam, quum animus ejusque motus potissimum per oculos emineant,[5]) Homerus Thersitem, virum deformem et stultum descripsit: ἀχρεῖον ἰδόντα,[6]) quod vertimus, „geistlos hinstarrend" et animi motus respiciens alio loco narravit: κρατερὸν. . . πένθος ὀφθαλμοὺς ἐκάλυψε, quocum versu cf. Quinct. inst. or. XI, 2, 49. ‚oculi et hilaritate enitescunt et tristitiae quoddam nubile ducunt'

Multo autem magis varios animi motus oculi, quum moventur pronuntiant, sed de hac re postea, quum de motu ac habitu corporis ejusque partium agam.

Nunc ad supercilia (ὄφρυες) me vertam, quae oculis finitima, una cum iis, quum moventur, quasdam animi affectiones ut iram, pugnandi ardorem, alias exprimunt. Sed hic tantum de eorum formis.

Atque ὄφρυες vocamus et supercilia et eam frontis partem, ubi insident, quam artifices, quoniam supercilia fingere non potuerunt, magis protuberantes formarunt. Quia Homerus homines, non statuas describit, ὄφρυες supercilia tantum intelligenda sunt, quae, quo crassiora et densiora erant, eo fortioris et robustioris viri esse putabantur. Itaque Hectori, viro fortissimo

1) Il. IX, 504. 2) Il. XVII, 679. 3) Od. XIII, 401.

4) Il. XIII, 435. τὸν τότ' Ἰδομενῆι Ποσειδάων ἐδάμασσεν,
θέλξας ὄσσε φαεινά, πέδησε δὲ φαίδιμα γυῖα.

5) cf. Quinct. inst. or. XI, 3, 75.

6) Il. II, 269. 7) Il. XI, 249.

ὄφρυες βλοσυραὶ [1]) attribuebantur, quod epitheton a verbo βλύειν derivandum idem significat, quod turgidus aut densus. Neque illa vox κυάνεος, qua nonnunquam Iovis supercilia vocantur, tam ob colorem, quam ob densitatem intelligenda est. Color enim et superciliorum et barbae et capilli semper idem putandus est. Quodsi Iovis capillus, ut omnium Graecorum flavus est, supercilia autem κυάνεαι [2]) vocantur ὄφρυες certe non caerulea, sed tam densa intelligenda sunt, ut nigra videantur, quae significatio ad Iovem quidem, qui est θεῶν κάρτιστος ἁπάντων,[3]) κάρτιστος ἁπάντων, [4]) οὗτε κράτος ἐστὶ μέγιστον, [5]) optime quadrat.

Iam ad genas nos vertamus, quas Homerus in universum tantum, non accurate describens vocat pulchras, ut Anchisae [6]) et Ulixis [7]) καλὰ προςώπατα. [8]) Nihilominus ex Il. VII, 212. ubi Ajaci attribuuntur προςώπατα βλοσυρὰ, quam vocem vertimus: bausbäckig" conjicere possumus non macilentas concavasve, sed modice plenas genas fuisse pulchras.

Quamobrem Minerva, quum Ulixem curis laboribusque confectum pulchriorem et robustiorem redderet praeter cetera complevit labentes genas, τάνυσθεν γναθμοὶ. [9])

Denique ex reliquis faciei partibus, exceptis dentibus, quos albos laudat, λευκοὶ ὀδόντες [10]) neque os, nec mentum, cujus forma postea non parvi habebatur [11]) ullo loco descripta legimus.

Accuratiore autem descriptione dignum capillum habuit Homerus et densum quidem, jam tum eximium capitis ornamentum. Itaque Thersiti, deformi illi viro, perraros pilos attribuit,

---

1) Il. XV, 608.

2) Il. I, 528. XIV, 236. XVII, 209. 3) Il. VIII, 17. 4) Il. XX, 243. 5) Od. V, 4. 6) hymn. ad. Ven. 184. 7) Od. VIII, 85. 8) cf. Achillis πρόςωπον χαρίεν. 9) Od. XVI, 175. 10) Il. V, 291.

11) cf. Ottfr. Müller arch: „Dass Kinn ist ein wesentliches Merkmal ächt griech. Bildung"

ψεδνὴ δ' ἐπήνοθε λάχνη,[1] Minerva autem Ulixis caesariem tam crassam horridamque finxisse narratur, ut ejus caput ἄνθεϊ ὑακινθίῳ (Iridi germanicae) compararetur.[2]

Capillus igitur virorum validorum nec brevis nec crispus, qualis postea Herculis aut Martis caesaries fingebatur, sed horridus et longus ad humeros simpliciter ac tamen apte compositus defluxit, quocirca Graeci in Iliade perpetuum acceperunt cognomen: καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ.[3] Ab illo autem horrido, quem Graeci cum juba equorum aut leonum conferentes χαίτας nominarunt, mollis ac tener capillus differt, quem κόμην nominatum et feminis praecipue, sed etiam viris mollibus effeminatisque proprium legimus ut Paridi aut Euphorbo aut aliis.[4] Neque tamen compluribus locis robustorum virorum caesaries non vocatur κόμη; quod si accidit, illa vox semper adjectivo ad multitudinem aut densitatem spectanti accuratius definita est.[5]

Saepissime, ut jam dixisse puto, capillus simpliciter compositus defluxit, sed jam in Iliade capillum summa diligentia comptum legimus atque fibulis aureis aut argenteis constrictum, ut illius Euphorbi, cujus ἕθειραι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκοντο.[6] Attamen hic barbarorum mos putabatur, qui illo quidem tempore Graecis valde displicebat; quare Thraces et Abantes ob comptum Graecis alienum cognomina acceperunt, priores, quod capillum in vertice constringebant (non, ut alii volunt, quod caput vertice excepto glabrum tondebant) ἀκρόκομοι,[7] alteri ὄπιθεν κομόωντες,[8] quod in adversa capitis parte brevius resectis crinibus usi sunt, quam in aversa. Atque colorem crinium flavum fuisse plerumque legimus, ut in Il. I, 197. XXIII, 141, ubi Achillis vocatur ξανθὴ κόμη[9]); quodsi crines

1) Il. II, 219.

2) Od. XXIII, 156. squ. 3) Il. II, 51. 323. III, 43. IV, 261. VII, 85. VIII, 53. IX, 45. XIII, 310. Od. XX, 277. 4) Il. III, 55. Il. XVII, 52.

5) Od. XXIII, 156. Il. III, 55. VI, 231. 6) Il. XVII, 52.

7) Il. IV, 533. 8) Il. II, 542. 9) Il. I, 197. XXIII, 141. II, 642. Od. XIII, 399. Il. III, 284. IV, 183. X, 240. XI, 125. XVII, 6. 124. 673. XXIII, 293. 401. Od. I, 285. III, 168. IV, 30. XV, 110.

Hectoris illius barbari vocantur κυάνεαι χαῖται, [1]) utrum revera fuerint caerulei i. e. nigri, an, ut supra jam dixi, intelligendi sint capilli densi, discernere non audeo. Senum autem fuisse canos secundum naturam est; quamobrem senes πολιοκρόταφοι[2]) vocabantur i. e. canis temporibus instructi et Priami caput πολιὸν κάρη. [3])

Denique pauca de barba afferam, quam Graeci et in genis et in mento aluerunt, id quod ex Od. XI, 319, ubi adolescentes juvenesque hac quidem re maxime inter se differre Homerus nos docet, facile cognoscimus.

Ac formam barbae, etsi nusquam commemoratam legimus, fuisse cuneatam monumenta antiquissima docent, potissimum illud, quod vocatur στήλη Ἀριστίωνος; neque minus ex capilli colore barbam fuisse flavam conjicere possumus. Quodsi Ulixis capillus flavus vocatur ξανθαὶ ἔθειραι, [4]) barba autem caerulea, γενειάδες κυάνεοι, [5]) hanc diversitatem ita explicandam esse puto, aut, ut κυάνεος idem habeamus, quod οὖλος, aut ut interpretemur, Minervam canos crines, quibus miseriis confectus Ulixes usus est in priores flavos mutasse, qui pro canis sane caerulei videri poterant. Atque senis esse barbam canam, secundum naturam est et ex descripto senis capillo apparet.

Habes, quae de viri capite Homerus dixerit, simili modo feminarum quoque capitis formam obiter tantum descripsit.

Atque pulchritudinem faciei feminarum magnum et virorum facie majorem fuisse secundum naturum est; quamobrem quum viri ob corporis firmitatem, tum mulieres ob faciei pulchritudinem laudabantur atque cum deabus conferebantur; cf. Il. III, 158 ubi Niobe deabus similis fuisse narratur εἰς ὦπα ἀθανάτῃσιν εἰκυῖα; et Nausicaa vocatur εὐῶπις Od. VI, 113. 142. εἰκυῖα θεῇσιν VII, 291.

---

1) Il. XVII, 401. 2) Il. VIII, 518.
3) Il. XXIV, 516. 4) Od. XIII, 399. 431.
5) Od. XIII, 176.
6) cf. πολιὸν γένειον. Priami. Il. XXIV, 516. h. ad. Ven. 230.

Quae fuerit forma frontis, utrum alta an brevis, an lata, nusquam elucet; discimus autem ex Il. XV, 103. pulchram habitam esse frontem serenam, non rugosam. Neque magis de feminarum naso ac mento egit Homerus, quam virorum; quare illum nasum rectum quem Graeci vocabant ῥῖνα εὐθεῖαν illo quidem tempore corporis perfectae formae fuisse plane negandum est.

Ut virorum, ita feminarum oculos pulchros fuisse et magnos et bene arcuatos et argutos ex descriptione oculorum virorum plane apparet et ex epithetis feminarum ἑλικῶπις[1]) et βοῶπις,[2]) cujus vocis compositae prior pars aeque ac illius βούγαιος[3]) nihil aliud, quam ‚magnus' significat. Maxime autem oculi feminarum, illis diris, quibus Minerva, belli dea severa ὄσσε δεινὼ[4]) insignis putabatur exceptis, ob amorem, venustatem, magnum ingenium — γλαυκῶπις Ἀθήνη — quae ex iis elucebant, laudabantur. cf. h. ad Cererem 214, ubi ex oculis virginum regiarum αἰδώς τε χάρις τε elucere narrantur; atque etiam illud cognomen αἰδοίη[5]) potissimum ob modestiam, quae ex oculis elucebat, mulierum nominibus appositum est. (cf. κυνῶπις[6]) quam vocem vertimus: frechblickend.) De oculis venereis, quod de eorum motibus separatim dicere mihi proposui, cf. infra ὄμματα μαρμαίροντα = ὑγρά.

Atque supercilia fuisse flava et densa ex Il. XV, 102 apparet, ubi Iunonis supercilia vocantur κυάνεαι ὄφρυες,[7]) de qua voce cf. supra dicta.

Potissimum autem praeter oculos pulchritudinem muliebris faciei in genis pulchris constitisse jam satis ex eo conjicere possumus, quod Graeci, qui lugentes carissimum quodque et pulcherrimum delebant, genas dilacerare solebant;[8]) atque etiam

---

1) Il. I, 98. cf. praet. h. ad. Ven. 19. ἑλικοβλέφαρε. 2) Il. II, 144. VII, 10. VIII, 471. XIV, 159. XV, 34. XVI, 439. XVIII, 239. 3) Il. XIII, 824. Od. XVIII, 79. 4) Il. I, 200. 5) Il. II, 514. Od. VIII, 422. XVII, 152. III, 381.

6) Il. I, 159. Od. IV, 145. 7) Od. I, 156. cf. praet. ὄσσε φαεινὼ Il. XXI, 415. 8) Il. XIX, 287. XVIII, 24.

ex illo epitheto καλλιπαρήιον, quo feminae pulchrae plerumque exornatae sunt. [1])

At quales fuerant genae pulchrae? Ex Od. VIII, 730 (φθινύθουσιν παρειαὶ) conjicere possumus, labentes genas pulchras non fuisse et quod in Od. XVIII. 123 legimus:

ἀμφοτέρῃσιν χερσὶ παρειάων ἁπαλῶν
δάκρυ ὀμορξαμένην. . . . . . .

feminarum pulchrae genae modice plenae, vel potius molles leviterque rotundae putabantur. Praeterea ex Od. XVIII, 172 [2]) comperimus, Homerum genas mulierum rubentes pulchras habuisse. Eurynome enim Penelopen adhortatur, ne in procorum concilium descendat neve faciem lacrimis corruptam ostendat, priusquam ejus colorem fucaverit, — id quod illud ἐπιχρῖσαι hoc loco significare mihi videtur — quocum loco cf. Od. II, 376. Neque minus huc referendum est illud epitheton καλυκῶπις, rubentibus genis florens, etsi non in Homeri carminibus, sed in hymnis usurpatum est.

Denique capillus quum virorum tum potissimum feminarum eximia capitis pars jam Homeri tempore habebatur, cujus ob pulchritudinem feminae epithetis persaepe exornabantur, ut ἠΰκομος, [3]) ἐϋπλόκαμος, [4]) καλλιπλόκαμος, [5]) aliis.

Iam supra, quum de vocibus χαίτη et κόμη agerem, κόμην feminis proprium capillum descripsi longum et tenerum multoque molliorem, quam virorum [6]) et flavum. [7]) Adjungendum mihi est, capillos maxima diligentia compositos et auro argentove exornatos [8]) esse.

Crines enim pexi et a fronte divisi aut caput circumplexi

1) Il. I, 143. 186. 310. 323. 346. 369. VI, 298. 302. IX, 665. XI, 224. XIX, 246, XXIV, 676. XVIII, 321. Od. XV, 123. XIX, 208. XVIII, 192.

2) h. ad. Ven. 245. ad. Cer. 8; 420. 3) Il. II, 689. III, 329. VII, 350. VIII, 82. IX, 339. XI, 369. XIII, 766. 4) Il. VI, 380. 385. XI, 624. XIV, 6. Od. VI, 135. XVIII, 48. 5) Il. XVIII, 592. XV. 58. 6) cf. λιπαροπλόκαμος Il. XIX, 156. 7) Il. XI, 740. 8) Il. XVIII, 597. XXII, 468.

sunt in gradus formati, qualem comptum illa statua, quae vocatur Iunonis Argivae exhibet, cf. Il. XIV, 176. χαίτας πεξαμένη πλοκάμους ἔπλεξε φαεινοὺς. . . . aut, quibus potissimum virgines utebantur, in cincinnos formati ad humeros defluxerunt, quales in imaginibus velut Gratiarum conspicere possumus.[1])

Ac quaecunque ab Homero de capitis forma dicta sunt, plane enarrasse puto, proximum est, ut afferam, quae de reliquis corporis partibus et virorum et feminarum commemorata inveni.

Et jam venio ad collum, quod pro corporis viribus aut tenerum et molle, aut breve et musculosum descriptum est. Itaque effeminati Paridis[2]) collum vocatur ἁπαλὴ δείρη itemque Amphimachi,[3]) robusti autem cyclopis[4]) cervix αὐχὴν παχὺς aut Vulcani[5]) et Herculis αὐχὴν στιβαρὸς; itemque Ulixis[6]) cervix Phaeacibus corpus ejus admirantibus videbatur robusta αὐχὴν στιβαρὸς, qua ostenditur animi vigor ad tolerandos omnes labores paratus.

Neque minus humeri vires ostendunt, qui firmi et lati validorum virorum fuisse narrantur; quamobrem Plutonis[7]) humeros firmos fuisse legimus ὤμους στιβαροὺς et Telemachi[8]) et suarii,[9]) et latos Ulixis[10]) et Patroclis,[11]) εὐρέας ὤμους. Atque etiam recti cogitandi sunt, non curvi, quales Thersiti describuntur, κυρτὼ ὤμω,[12]) inter quos caput, quasi vi adactum esse videbatur. Maxime vero ex pectore vires cognoscuntur, quae, quo latius et convexius est, eo majores putantur (cf. γύαλα θωρήκων). Itaque quod Homerus fere omnes viros descripsit validos fortesque, fere omnes pectoribus firmis excellebant στῆθος στιβαρὸν, ut Aeneas et Sarpedon, et Agamemnonis[13]) pectus cum

---

1) cf. εὐπλόκαμος Od. I, 86. V, 30. 58. VII, 246. 255. X, 136. XI, 8. XII, 132. 150, 449. καλλιπλόκαμος X. 220. 310. XVIII, 407. XX, 207. hymn. ad Cer. 178. 2) Il. III, 371. 3) Il. XIII, 202. 4) Il. XVIII, 415. 5) Od. IX, 372. 6) Od. XVIII, 69. 7) Od. V, 400. 8) Od. XV, 61. 9) Od. XIV, 528. 10) Od. XVIII, 68. XXII, 488. 11) Il. XVI, 791. 12) Il. II, 218.
13) Il. II, 478. 482.

Neptuni comparabatur, qui ut fervens mare perrumperet validissimo pectore insignis putabatur; quo tamen pectore Ulixis [1]) etiam validius fuisse narratur. Denique firmissimum pectus habebatur pilosum, quo insignes fuisse legimus Achillem [2]) στῆθος λάσιον et Vulcanum [3]) στῆθος λαχνῆεν.

Lacerti virorum erant longi et nervosi, ut maximis laboribus essent pares, quamobrem Ulixi, [4]) qui vocabatur πολύτλας, attribuebantur βραχίονες στιβαροὶ; itemque manus erant firmae et validae.[5]) Coxas pulchras autem angustas fuisse, non in mulierum modum latas ex eo conjiciam, quod Agamemnonis [6]) coxae cum Martis, illius juvenis conferebantur, qui procerus[7]) et summa celeritate insignis narratur.

Atque dorsum, ne pulchritudo totius corporis tolleretur, pro pectore fuisse latum [8]) et rectum, non gibberum [9]) sane secundum naturam est.

Deinde pedes firmi et validi laudantur, quorum femur obesum et musculosum erat ac tamen bene formatum cf. πρυμνὸν σκέλος, ἔνθα πάχιστος μυών;[10]) et θαλερῷ μηρῷ,[11]) quam vocem vertimus, ‚schwellend, üppig.‘ Minus musculosum et rectum erat crus; quamobrem Homerus Menelaum laudavit εὐφυῆ κνήμας[12]) i. e. rectis cruribus ornatum, et Neptunum[13]) et omnes Graecos[14]) εὐκνήμιδας. Levibus vinculis[15]) cum cruribus erant conjuncti pedes,

---

1) Od. XVIII, 69. Il. III, 194.

2) Il. I, 189, 3) Il. XVIII, 415. 4) Od. XVIII, 69.

5) βαρεῖαι, παχεῖαι, θρασεῖαι χεῖρες Il. I, 219, VIII. 226. XX, 261. Od. XX, 299. Il. XIII, 134. XXIII, 740. XVII, 296. V, 309. Od. V, 434. χεὶρ στιβαρὴ Il. XIV, 455. XVI, 615. XXIII, 843. XII, 397. XIII, 505. 6) Il. II, 478. 7) cf. Martis descr. 8) Il. II, 217. 9) εὐρὺ μετάφρενον. Il. X, 29.

10) Il. XVI, 315. et praet. cf. Od. XVIII, 74, ubi Phaeaces Ulixis musculosa femora admirantes exclamant.

‚οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει!‘

11) Il. XV, 113 cf. praet: μηροὶ καλοί τε καὶ μεγάλοι Od. XVIII, 67. 12) Il. IV, 147. 13) Il. XIII, 71. 14) Il, I, 17. II, 331. III, 86. IV, 80. V, 264. 15) cf. ποδώκης, ποδάρκης. Il. I, 58. VIII, 474. IX, 196. I, 121. II, 688.

qui, quo tutius viri ingredi possent magni[1]) et pingues erant. quare vocabantur μαλακοὶ[2]) et λιπαροί.[3])

Quam necessarii vero pedes bene formati corporis pulchritudini etiam tum haberentur ex descriptione Vulcani intelligimus, qui robusto quidem corpore, sed teneris pedibus praeditus pulcher non habebatur et Thersitis, qui altero pede claudicabat.

Denique, ut perfecta sit corporis pulchritudo etiam cutem pulchram esse debere Homerus non ignoravit, qui etiam atque etiam ad χρόα καλὸν[4]) lectorum animos advertit. Ac qualem habuerit pulchram, et ex Od. XIII, 398. cognoscimus, ubi eam vocat mollem et teneram et ex Od. XIII, 430, ubi laudat levem non rugosam.[5]) Minerva enim, ut Ulixem redderet deformem, cutem ejus pulchram corrugasse narratur, χρόα καλὸν ἔκαρψεν. cf. praeterea Il. IX, 504, ubi deae Preces ῥυσαι rugosae describuntur. Deinde colorem cutis fuisse subfuscum aptum est et illi coelo et laboriosis viris strenuisque cf. Od. XVI, 175, ubi Ulixes vocatur μελαγχροιής, sed etiam albam Homerus laudat imprimis adolescentium cutem. cf. Il. XV, 316.[6])

Atque de muliebris corporis forma perfecta; ad quam nunc progrediamur, Homerus fere eadem, quae de virorum dixit. Nam etiam feminae magnitudine[7]) et quodam robore[8]) excellebant, tamen singulae muliebris corporis partes mollitia[9]) et carnis abundantia a nervosis virorum formis valde differunt.

Itaque Penelope, quo pulchrior videretur a Minerva μακροτέρα[10]) τε καὶ πάσσων[11]) facta est et mulieres ob pulchritudinem

---

1) cf. Il. XIII, 71. 2) Il. II, 44. 3) Od. XX, 126. 4) Il. XI, 352. Od. XIII, 398. 430. χρόα κάλλιμον Od. XI, 529.

5) χρὼς τέρην Il. XIII, 554. XIV, 406. IV, 257.

6) Il. XV, 316. neque Ajacis cutem, ut derideatur dictam esse λειριόεις (in Il. XIII, 830.) candidam ex Il. XI, 573 apparet, ubi χρὼς describitur λευκός.

7) Od. XVIII, 195 καλὴ καὶ μεγάλη γυνὴ Od. XIII, 288. XV, 418. XVI, 158. 8) Od XVIII, 195 V, 415 9) Il. XVIII, 123. 10) Il. XIX, 282. XI, 637; Od. XVII, 37. XIX, 54. Il. IV, 14. 11) Od. IV, 122. XVII, 37. XIX, 54

celebratae nulli deae, nisi Veneri aut Dianae illi venatrici gracili, quae magnitudine omnes superabat similes laudantur.

Singularum autem corporis partium, quas Homerus sive pudore permotus, sive inscitia, quia illo tempore feminae velatae ingrediebantur minus accurate describit, collum habuit tenerum,[1]) non tam validum, quam virorum et candidum.[2]) Candidum quoque vel potius argenteum, ἀργύφεα στήθεα,[3]) laudat pectus, cujus mammas in universum modice plenas describit ἱμερόεντα,[4]) ἁπαλά.[5]) Lacerti erant nitidi validique, etsi non tam, quam virorum et candidi,[6]) itemque manus molles[7]) teneraeque.

Coxas amplitudine superavisse virorum nusquam quidem legimus, sed secundum naturam est.

Denique restat, ut pauca afferam de pedum forma. Atque superiorem partem, crus, potissimum feminarum in aetatis flore collaudat pulchram bene formatam ut Iuventutis,[8]) Inonis Leucotheae,[9]) Danaes,[10]) quas omnes vocat καλλισφύρας, quod epitheton ex hymno ad Cerer. 184 cruribus esse gracillimis significare mihi videtur. Pedes autem specialiter i. e. inferiorem partem laudat teneros et[11]) nitidos et quod facile moveri[12]) poterant, quare ingressus cum columbarum comparabatur.[13]) Qualem autem Homerus cutem habuerit jam ex iis, quae de virorum cute diximus satis colligere possumus. Nam quum virorum tum maxime feminarum cutis tenera et levis non rugosa habenda est pulchra, cf. χρὼς καλὸς,[14]) ἱμερόεις;[15]) neque minus

---

1) Il. III, 396 περικαλλὴς δείρη hymn. ad. Ven. 88. 182. ἁπαλή. 2) Od. XXIII, 240. 3) hymn. ad. Ven. 10. 4) hymn. ad. Ven. 10. 5) hymn. ad. Ven. 90. 6) Od. XIII, 240. Il. I, 55. V, 711. VIII, 350. XIV, 277. XV, 78. XIX, 407. XX, 112. XXI, 377. XXIV, 55.

7) χεὶρ ἀβληχρὰ Il. V, 337. ἀραῖα Il. V, 425. 8) Od. XI, 603. 9) Od. V, 333. 10) Il. XIV, 319 IX, 557. 560.

11) hymn. ad Cer. 288.

12) ποδώκης, ποδήνεμος Il. VIII, 425. XI, 199. XVIII, 202. XI, 195.

13) Il. XIV, 228. 285. V, 778. hymn. ad Apoll. 114.

14) Od. II, 376. hymn. ad Ven. 14. παρθενικαὶ ἁπαλόχροες Il. IV, 175.

15) Il. XIV, 170.

imprimis feminis cutis color albus attribuendus est, quem pectoris et lacertorum et colli fuisse jam supra diximus cf. praet. Od. XVIII, 196. ubi Minerva Penelopaecutem reddidisse eburneam narratur:

‚λευκοτέρην δ' ἄρα μιν θῆκε πριστοῦ ἐλέφαντος.'

Quales fuerint formae perfectae singularum corporis partium, jam satis enarrasse puto; sequitur, ut ad motum et habitum corporis me vertam, qui, quod ex iis potissimum animus ejusque motus elucent, in dijudicanda perfecta corporis forma non modo non minoris, sed nescio an non corporis formis etiam pluris aestimandi sint.[1]) Quamobrem Daedalus, qui primus vincula, quae in antiquissima periodo artem coercuerant, solvit i. e. statuas suas, et oculos clausos aperiens et pedes junctos disjungens ita ut ingredi viderentur, quodam motu affecit a Graecis maximis laudibus semper elatus est. Neque minus ex comperatione operum artis Graecorum et Aegyptiorum agnoscere possumus artem plasticam tum demum ad summam, quam miramur, perfectionem progredi posse, quum artifices didicerunt statuis eundi motionem liberam et facile cuique animi arbitrio obtemperantem imponere, id quod in Aegyptiorum arte frustra quaeritur.

Poetae nimirum in observandis et describendis et formis et corporis motibus artificibus, quos difficultates materiae tractandae retinebant longe praecurrerunt et jam Homerus, quanquam illo tempore ars plastica quasi in cunabulis erat, quicquid agebatur tam accurate et distincte exposuit, ut ante oculos versari putemus.[2])

---

1) cf. Quinct. inst. orat. XI, 3, 66. ex vultu ingressuque habitus animorum perspicitur.

2) cf. Schnaasium II, 128. „Wenn man das rege, geistige Leben der homerischen Dichtung und ihre volle plastische Anschaulichkeit betrachtet, erscheint es fast wunderbar, dass die bildende Kunst in einer Reihe von Jahrhunderten so langsame Fortschritte gemacht, und dass die schon längst bildnerisch angeregte

Potissimum ejus descriptiones pugnarum collaudantur, in quibus, etiamsi homines gravissimo statu describat velut virum vulnere mortifero affectum aut animam agentem tamen nusquam nec veritatem nec elegantiam non servat.

Atque etiam aliarum descriptionum permagna est copia, quae, quod habitus motusque corporis accuratissime observati et descripti sunt, dignae et sunt et semper sunt habitae, in quibus fingendis artifices operam studiumque collocarint.

Aut, ut multas alias descriptiones et quae artifices ipsi professi sunt omittam, quis non meminerit, quum illam morientis Galli statuam in villa Ludovisi positam adspicit illius versus: πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ[1]) aut: στῆ δὲ γνὺξ ἐριπών, καὶ ἐρείσατο χειρὶ παχείῃ γαίης.[2])

Neque vero accurate tantum describendo, sed etiam ipse Homerus profitetur corporis perfectas formas nihil valere, nisi aptus atque decorus habitus motusque accesserit.[3])

Iam vero, quum cognita vi, quam habet corporis habitus, quaeramus, qualem Homerus habuerit bonum, in universum dicendus est rectus, qui secundum naturam est et jam ex illa a natura data statura recta (φυὴ) efficitur, quam Homerus non modo non neglectam, sed potius servatam, quin etiam exercitationibus corporis excultam esse narravit.[4])

Atque hoc habitu, quoniam est virium corporis et fortis animi potissimum juvenes excellebant ita ut vix ullus vir fortis aliter nisi recto habitu ingrediens cogitari possit. Itaque illud

---

Phantasie sich mit so starren, einförmigen Gestalten, wie sie uns beschrieben werden, begnügt habe. . . . . . et pg. 171: Besonders unübertrefflich ist er in seinen ganz plastisch angelegten Kampfesscenen. . . . . . pg. 171. Schon das blosse Auftreten der homerischen Helden ist oft höchst bezeichnend für ihren Charakter, man denke nur an die Schilderung der griechischen Helden von Helena Il. III. . . .

1) Il. XI, 425. XIII, 508. 520. XIV, 452. XVII, 315. 2) Il. XI, 355.
3) Od. VIII, 171. 4) Il. XXIII, 621. Od. VIII, 103. 375.

ἵσταντ᾽ ἀθανάτοις ἐναλίγκιοι[1]) non tam ad corporis formam, quam ad habitum referendum esse et significare mihi videtur, juvenes fuisse habitu ingenuo i. e. recto insignes.[2]) Neque ob aliam causam virgines tam saepe cum graecili venatrice Diana χρυσέη Ἄρτεμις[4]) conferuntur et vocantur ἀδμηταὶ παρθένοι,[3]) indomitae virgines, nisi ob habitum rectum.[5]) Atque homines provectiore aetate senioque confectos etiam Homerum cogitasse incurvos ex Od. II, 16 discimus, ubi Ascanius describitur γήραϊ κυφός.

Attamen ille habitus rectus, cujus vocis vis latius patet, perfacile pulchritudinem veram excedere potest, quamobrem accuratius definiendus est. Neque enim immobilis esse debet, ob qualem habitum Ulixes in Il. III. 211 deridetur et cum viro aliquo rationis experti confertur, neque durus, qualem insolens superbusque prae se fert,[6]) sed ut plane secundum naturam sit, habitus necesse est rectus et liber sit. Quamobrem orator, quum pro concione diceret sibi sceptrum assumpsit, quo insigni animum quasi confirmaret simulque habitum liberum ac naturalem acciperet.[7])

Atque ex iis, quae admodum dixi, jam satis apparet, habitum corporis plerumque ex animi habitu aptum esse. Vir vehementer dolore affectus demisso capite atque corpore quodam modo incurvo ingredi solet;[8]) atque laetus aut pugnae cupidus celerrimis motionibus utitur; superbum autem habitum praedurum prae se ferre, admodum dixi. Attamen, quamvis diversi sint animi affectus et habitus motusque corporis, qui ex illis efficiuntur, ex omnibus motibus semper gravitas et fere majestas eluceat necesse est, ut habitus sit perfectus. Quod quam vere sit

---

1) Od. VII, 5. 2) cf. στῆ ὀρθὸς Il. XXIII, 657.
3) Od. IV, 122. Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα. XVII, 37. Ἀρτέμιδι ἰκέλη ἠὲ χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ = XIX, 54. Il. XIX, 282. 4) hymn. ad Ven. 82.
5) cf. Quinct. inst. orat. XI, 3, 19. 6) Il. XV. 266. VI, 507. 7) Il. III, 211, ubi Ulixes pro concione dixit. 8) Thersites ἰδνωθεὶς Il. II, 266. XV, 133.

dictum satis ex epithetis cognoscimus, quibus viri fortes exornati sunt: ἄναξ ἀνδρῶν,[1]) ἰσόθεος φώς,[2]) διοτρεφὴς βασιλεύς,[3]) γεραρός,[4]) quam vocem et senibus et juvenibus, ut Ulixi, Agamemnoni nisi ob habitum decorum non attributam esse puto et ex iis locis, ubi res praeclare gestae narrantur, quae permultum pulchritudinis amitterent, nisi viri fortes eas quadam cum gravitate peregisse cogitarentur. Iam vero quod singula ejusmodi exempla quibus permultis Homeri carmina impleta sunt, enumerare longum est, protinus ad singularum corporis partium habitum me vertam, qui in universum quidem cum totius corporis consentit, sed tamen, quod per singulas partes interdum quidam animi affectus significantur, separatim tractandus est.

Atque praecipuum in actione, sicut in corpore ipso[5]) caput est, cujus habitus, ut sit decorus secundum naturam i. e. rectus esse debet. Nam et dejecto humilitas et tristitia[6]) et supino arrogantia[7]) et in latus inclinato languor et praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis ostenditur.[8]) Atque etiam motus capitis respiciendi sunt, quibus, praeter alias significationes potissimum confirmatur, permittitur negatur et ita, ut inclinando[9]) annuatur, confirmetur et reclinando renuatur, denegetur,[10]) quae motio nunc quidem longe aliud significat.

Principalis autem pars capitis facies est, ubi fere omnes animi motus significari possunt et ita, ut persaepe quodque verbum supervacaneum esse videatur; sed oculis, qui faciei quasi imperant, ad motus significandos nihil accommodatius est. Ac

---

1) Il. I, 7. 442. II, 434. 612. III, 81. 267. VIII, 278. 2) Il. II, 565. XV, 559. XVI, 632. XXIII, 569. 677. Od. I, 324. θεοειδὴς Il. II, 623. III, 16. XIX. 327. XXIV, 217. Od. VI, 7. VII, 231. X, 205. 3) Il. I, 176. II, 98 196 445. 660. V, 464. 4) Il. III, 170. III, 211. 5) Quinct. inst. or. XI, 3, 68. 6) Il. XV, 113. III, 217. στάσκε ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας. 7) Il. VI, 509. XV, 266. ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμους αἴσσονται.

8) Quinct. inst. orat. XI, 3, 69. 9) κατένευσε Il. XV, 75. XVII, 209. ἐπένευσε Il. XV, 374. VIII, 175.

10) ἀνένευσε Il. XVI, 250. 252.

quales fuerint, jam supra diximus, hoc loco eorum motus tantum respiciendi sunt.

Atque paullulum demissa superiore palpebra, pudicitia, modestia significatur[1]) et attracta inferiore amor venereus proditur; quales oculos, quod attracta palpebra oculus minor ejusque lumen in unum locum contractum splendidius videtur, Homerus vocat *ὄμματα μαρμαίροντα.*[2]) Deinde palpebris divulsis, ita ut oculi majores et truces videantur, pugnandi cupiditas et ira significantur, quocirca Il. I, 104 Agamemnonis, qui furore exarsit *ὄσσε δεινὸν ἐξεφάνθην*; itemque legimus Il. XII, 466[3]) Hectoris oculos fuisse igni similes, qui insuper ob palpebras vehementer divulsas Gorgoni aut Marti comparatur.[4]) Denique oculis trepide jactandis pavor et terror significantur, quare perterritus Ajax describitur Il. XI, 546. *τρέσσε παπταίνων*, i. e. oculos huc et illuc jactans.[5])

Neque vero oculorum tantum motionibus, sed etiam superciliorum animi motus exprimuntur[6]) Etenim vir ira commotus palpebras quidem distrahit, sed etiam contrahit supercilia ita, ut oculi superciliis quasi obscurati videantur; quapropter Hector *νυκτὶ ἐοικὼς*[7]), et iratus Ajax leoni similis narratur, qui *πᾶν ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται*[8]) i. e. supercilia plane contrahit; neque illud *ὑπόδρα ἰδὼν*[9]), quo Homerus persaepe utitur, aliter intelligendum est, quam ‚sub contractis superciliis prospiciens.' Deinde deductis superciliis tristitiam et hilaritatem demissis ostendi ex Il. XVIII, 103 apparet, ubi Iuno tristis describitur, quoniam frontem nondum explicaverat: *οὐδὲ ἰάνθη μέτωπον. . . .*

---

1) Il. III, 427. hymn. ad Ven. 157. ad Cer. 194: *ὄμματα κατέβαλε.* 2) Il. III, 397.

3) Il. XIX, 17. Od. IV, 662. Il. XV, 607. 4) Il. XIII, 802. XVII, 72. Il. VIII, 349.

5) Il. XIII, 551. 6) cf. Quinct. XI, 3, 79: Multum superciliis agitur.... ira contractis, tristitia deductis, hilaritas demissis ostenditur. 7) Il. XII, 463. 8) XVII, 136. 9) Il. I, 148. II, 245. IV, 349. 411. V, 201. 888. X, 446. XII, 230. . . .

Denique sicut capitis motione aperte, ita superciliis clam et annuendo confirmatur, jubetur, et renuendo denegatur [1])

Neque os sibentio praetereundum esse puto, quod ad formandum vultum non paullum affert. Nam ut omittam, ad exprimendos animi affectus praeter oculorum superciliorumque, etiam oris formam esse mutandam et ita, ut angulis oris subductis laetitia, tristitia deductis, labris compressis ira significetur, ex oris forma mutata potissimum cognoscitur, utrum sint veri an ficti animi affectus. Nam quum quis affectus animi aperte ostendere vult, et superciliorum et oculorum et oris habitus inter se consentiant necesse est i. e. velut viri irati et supercilia contracta sunt et palpebrae distractae et labia compressa; quos quum celare cupiat, motus inter se discrepare necesse est, et ita, ut vir iratus, qui iram supprimit [2]) fronte quidem explicata sed compressis labris fingatur et fronte quidem contracta, labris autem subridentibus [3]) vir cogitetur cavillans.

Attamen hi affectus perraro apud Homerum iis tantum locis, quos enumeravi, inveniuntur; plerumque et homines et dii vultu tranquillo et sereno finguntur et quodammodo benevolo; [4]) quapropter veterrimo quidem tempore deorum statuae, illo risu, quem dicimus vernacula lingua: hieratisches Lächeln, insignes erant. cf. praet, γλυκυμείλιχος, [5]) φιλομμειδής, [6]) quibus epithetis potissimum Venus exornata est et verbum μειδιᾶν, [7]) quo persaepe Homerus tantum de oris forma usus est. Atque reliquarum corporis partium potissimum manus et pedes respicienda sunt, quorum habitum quidem, quod plane respondet totius corporis i. e. secundum naturam est, praeterire possum, neque vero motiones, quibus varii gestus significantur. [8])

---

1) Od. XVI, 164. Il. IX, 620.

2) cf. Od. I, 381. XVIII, 410. XX, 268. 3) Il. XV, 103. 4) hymn. ad Ven. 19. 5) Il. III, 64. 424. IV, 10. V, 376. XIV, 201. XX, 40. Od. VIII, 362. 6) Il. XIV, 222. V, 426. VIII, 38. XV, 47. 7) Quincl. inst. or. XI, 3, 85. 8) Il. XV, 371. XX, 37. VII, 130. Od. XI, 423.

Sublatis enim manibus supplices aut deos precabantur[1]) aut homines; cf. Thetidem,[2]) quae precans Iovi permulsit genas. Atque etiam rem, quam quis diis offerebat manibus tollebat, ὕψοσ' ἀνέχειν,[3]) et qui sceptrum tollebat, quasi deos contestans juravit;[4]) salutabant autem aut amplexu[5]) aut porrecta manu, φῦναι ἐνὶ χειρὶ[6]) et manu super aliquem porrecta profitebantur, se ei esse praesidio.[7]) Denique animo fractus aut afflictus non solum caput, sed etiam brachia dimisisse, narratur quibus latera planxit[8]), et proci describuntur ob summum gaudium brachia sustulisse.[9])

Denique pedum motiones, quae permultum ad bonum corporis habitum conferunt, aptae sunt ex genibus, quae praecipuum Homerus habuit sedem roboris[10]) et ita, ut eo firmius et levius ingrederetur, quo quis firmioribus genibus usus est. Itaque viri fortes magnos plerumque gradus fecisse narrantur, μακρὰ βιβάντες[11]) et persaepe exornantur epithetis, quae ad genuum robur pertinent, ut ποδάρκης, πόδας ὠκὺς aliis;[12]) perterritus autem et senio confectus is putabatur, cujus genua tremebant, cf. Il. XI, 546. ubi Ajax describitur γόνυ γουνὸς ὀλίγον ἀμείβων. Deinde qui genua flexit supplicavit; superbus autem et insolens, pulchritudinis modum excedens, durius incedebat, id quod Homerus vocat: ὕψι βιβάζειν i. e. alte ingredi.[13])

Denique consuetudinem, quae tum vigebat, afferendam esse puto, victorem, victoriam quasi pronuntiaturum alterum pedem in hostis devicti humique jacentis pectore imposuisse.[14]) Atque haec fere dicere habui de perfecta corporis forma ejusque habitu ac

---

1) Il. VIII, 371. I, 501. 2) cf. ἠνορεὴ ἐρατεινὴ Il. VI, 156.

3) Il. X, 461. 4) Il. XIX, 175. X, 321. VII, 410. 5) Od. VI, 310, VII, 142. XXIII, 207. XVII, 39. 6) Il. VI, 253. 406. XIV 252. XVIII, 384. 7) Il. XIX, 687. XXIV, 374. V, 433. Od. XIV, 184. 8) Il. XV, 397. 113. 9) Od. XVIII, 100. 10) γόνυατα ἔλυσε Il. XI, 579. Od. XIV. 69. Il. V, 176. XXI, 114. 425. 11) Il. XVI, 534. XV, 676. 686. VII, 213. 12) Il. I, 58. VIII, 474. IX, 196. XIII, 113. XVI, 48. XVII, 486. XVIII, 78. I, 121. II, 688. VI, 423. XI, 599. XVI, 5. XVIII, 181. γυῖα ἐλαφρὰ Il. V, 122. 13) Il. XIII, 371. 14) Il. VI, 65.

motu; ac tamen ne quid praetermisisse videar, nunc pauca etiam de vestibus et virorum et feminarum afferam, quoniam vestiendo elegantia, qua Graeci usi sunt optime intelligitur. Vestis enim etsi frigoris depellendi caussa, aut ob pudorem (cf. Ulixem et Nausicaam[1])) reperta primo post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem.[2])

Atque vestitus potissimum virorum, qui tunica (χιτὼν[3])) et pallio (ἱμάτιον[4]) vestiti erant illo quidem tempore simplicissimus erat. Quorum tunica vestis erat, quae texta ex materia molli sive lintea sive lanea et, ut apte penderet et splendida esset, persaepe oleo inuncta[5]) manicis carebat et ab humeris defluens pedes attingebat; quocirca vocabatur τερμιόεις,[6]) quae vox fere idem significat, quod ποδήρης, qua postea usi sunt. Quoniam prolixior erat, tunica cingulo[7]) cingebatur persaepe pretioso, super quod vestis ita trahebatur, ut pedes attingeret et sinus exoreretur, ubi res, quas quis secum portabat condebantur. Quanta vero cum elegantia vestes cingerentur, optime ex statuis veterrimorum temporum intelligi potest, quarum vestes tam concinne et eleganter plicatae ab artificibus formatae sunt, ut etiam nunc admiremur. Neque vero omnes tunica ita cincta vestiebantur, sed eam etiam trahebant ex more Asiatico, ut Iones, qui ea de caussa vocabantur ἑλκεχίτωνες.[8]) Cingulo autem solvebant, quum sidebant et tunicam cingebant, quum iis in animis erat proficisci, quocirca ζώννυσθαι[9]) idem habebatur, quod iter parare.

Praeter hanc tunicam potissimum divites et principes etiam

---

1) Od. VI, 127. 2) Cic de oratore III, 38, 155.

3) Il. X, 131. XVIII, 596. Od. I, 437. V, 239.

4) Il X, 133. Od. IV, 115. V, 239.

5) Il. XVIII, 596. χιτῶν εὔννητος Il. XVIII, 25 νεκτάρεος ὥς ἐλάμπετο ἥλιος. Od. I, 437. μαλακὸς. 6) Od. XIX, 242.

7) ζωστὴς Il. X, 77. XI, 236.

8) hymn. ad Ap. 147. Il. XIII, 685. 9) Il. XI, 15.

altera veste vestiti erant pallio, quod ab Homero quidem χλαῖνα[1]) nominabatur aut φᾶρος[2]) aut λώπη[3]) postea autem ἱμάτιον.[4]) Fuerat autem illa vestis nihil aliud, quam pannus quadratus,[5]) qui humeris circumdatus in pectore fibula plerumque singulari arte perfecta[6]) continebatur. Cujus ex magnitudine duo fuisse videntur et minor, qui simplex ἁπλοΐς χλαῖνα[7]) et major, qui duplex vocabatur: διπλῆ ἐκταδίη.[8])

Atque color, ubicunque mentio fit, purpureus[9]) fuisse narratur, quamobrem pannum laneum cogitamus, quod idem confirmant illa epitheta ἀνεμοσκεπὴς, ἀλεξάνεμος,[10]) οὔλη,[11]) πυκνὴ μαλακὴ,[12]) quae voces omnes ad materiam crassam spectant.

Capite fuisse impositum ullum tegumentum, nusquam legimus, excepto infra citato versu, ubi miseri atque senio confecti Laertis caput galea caprina[13]) opertum esse Homero videbatur miserandum: αὐτὰρ ὕπερθεν

αἰγείην κυνέην κεφαλῇ ἔχε, πένθος ἀέξων.

Atque etiam illud miserum habuit, quod ocreis taurinis et digitalibus vestitus erat Laertes, ut praesidio essent contra spinas et tempestatem, quae nusquam alibi commemorantur.

Persaepe autem legimus pedum tegumina fuisse, quae soleae erant taurinae, corrigiis ad pedes alligatae, quibus nomina erant πέδιλα aut ὑποδήματα[14]) et χρυσᾶ[15]) quidem aureae, quoniam corrigiae plerumque aureis aut argenteis ornamentis erant ves-

---

1) Il. XXIV, 230. Od. V, 229.

2) Il. II, 42. 3) Od. XIII, 225. 4) Utraque veste usos esse Graecos legimus Il. II, 42 Od. V, 229. 6) ἐπερονήσατο Il. X. 133. XIV, 180.

7) Il. XXIV, 230. Od. XXIV, 275. 8) Il. X, 134. Od. VIII, 405. XVII, 89. XXI, 218. Il. II, 183. Od. XIV, 500. 9) Il. XVI, 224. Od. XIV, 529. 10) Od. XIX, 225. 11) Od. XIV, 529. Il. XXIV. 163. Od. IV, 50. XVII, 89. Il. X, 134. 451. XXIV. 646.

12) Od. XXIV, 231. 13) Od. IV. 115. VIII, 84. Il. X, 133. VIII, 221.

14) Il. II, 44. X, 22. 132. Od. II, 4. XV, 550. 15) χρυσοπέδιλος Od. XI, 604.

titae. Denique sicae commemorantur, quibus potissimum divites exornati erant et quae in cingulis adhaerebant.[1])

Attamen etsi simplicissimus erat vestitus eo majore diligentia studuerunt, ut quam lautissimus, mundissimus, non sartus[2]) esset, quare vestes persaepe ancillis lavandas traditas esse legimus. cf. Od. VI, 57. squ.

Atque militis vestitus ita erat compositus, ut corpus quam maxime tueretur. Itaque etiam caput tegumine semper erat opertum, quorum genera erant complura. Ex illa universa voce κυνὲη, primo quidem tempore galea taurina fuisse videtur, quod idem appositis confirmatur ταυρείη,[3]) κτιδέη.[4]) Postea autem galeae erant taurinae et aere aut auro tectae aut exornatae κυνὲη χαλκήρης,[5]) εὔχαλκος,[6]) εὔτυκτος[7]) χρυσέη.[8]) Quo firmius in capite insideret, in utraque parte galeae lora bracteata affixa erant, quae loris vernacula lingua dictis: Schuppenriemen, optime respondent, πολυκεστὸς ἱμὰς,[9]) aut ferreae genae, quae vocantur, quae sub mento alligabantur et galeae nomen afferebant, χαλκοπαρήϊον.[10]) Denique etiam τετραφάληρος aut τετράφαλος vocabatur[11]) cf. Buttm. lexiloch. II pg. 240 et Köchly-Rüstow, Gesch. des griech. Kriegswesens pg. 49. quod prominens et in frontem et in cervicem caput ab quattuor partibus texit. Atque etiam erant galeae aureae, cassides, quae proprio nomine πήληκες aut κόρυθες, sed etiam universo κυνὲη[12]) vocabantur.

Atque summa in galea erat conus, ubi crista immissa erat, quae potissimum volitans eximium ornamentum habebatur,[13]) quocirca Hector, qui impigre Trojanorum acies adhortans percurrit,

---

1) Il. XVIII, 598. XIX, 253. 2) Od. XXIV, 229: ῥυπόωντα δὲ ἕστο χιτῶνα ῥαπτὸν ἀεικέλιον. . . cf. Od. XIV, 506. 3) Il. X, 258. 4) Il. X, 335. 5) Il. III, 316. XV, 535, XVI. 603. 6) Il. XII, 184. 7) Il. XV, 481. 8) hymn. ad. Mart. 1.

9) Il. III, 371. 10) Il. XII, 183. 11) Il. V, 743. XI, 41. XII, 384. XXII, 315. 12) κυνέη πάγχαλκος. Od. XVIII, 378. 13) Il. XIX, 383. ἵππουρις cf. Buttm. lexeloch. II, pg. 210.

ob cristam volitantem cognomen accepit κυρυθαίολος.[1]) Deinde quoniam conus a fronte usque ad cerviсem pertinebat, galea, qualem velut Minerva gessit, vocabatur ἀμφίφαλος; κάταιτυξ autem galea vocabatur, quae illo cono plane vacabat, qualem in Il. X, 255 descriptam legimus. Illa enim ex coactis facta ab exteriore parte corio taurino tecta et albis capri dentibus exornata erat, interior autem pars ex corii resegminibus composita erat, quae aliud super aliud posita erant ita, ut galea levis quidem esset attamen satis tueretur. cf. Friedrichs Baust. pg. 49.

Praeter galeam praecipuum erat munimentum thorax ferreus, qui pectus usque ad coxas texit et compositus erat ex duabus convexis partibus, quarum altera dorsum, altera pectus texit γύαλα, et quae ad latera humerosque ternis loris conjunctae erant.[2]) Ut splendidissimus esset, Graeci eum diligenter poliebant[3]) aut ornamentis aureis ornabant, qualis erat Achillis[4]) thorax, qui ποικίλος aut Diomedis[5]) qui θώραξ χρύσειος laudabatur.[6]) (de lorica χιτὼν στρεπτὸς paullo post agam.)

Deinde milites sub thorace tunica vestiti erant, quae, quo facilius ingredi possent, brevior, quam viri privati fuisse et genua tantum attigisse mihi videtur. Quae si nusquam ab Homero commemorata est, tamen non est deneganda, quia thoracem aut loricam certe nudo corpori non induerunt et quod illa voce ζώννυσθαι potissimum milites usi sunt. Atque etiam illa statua quae ex veterrimo tempore aetatem tulit, στήλη Ἀριστίονος, tunicam monstrat, quae ad lacertos paullulum ex thorace prominet. Neque quum quis versus in Il. IV, 139 afferens, ubi sagittam, quae thoracem. Zonam, mitram perruperat corpus nullo vestimento im-

---

1) Il. II, 816. III, 83. 324. V, 680. 689. VI, 116. 263. 342. 359. VII, 158 287. VIII, 160. 324. XI, 315. XII, 230. XV, 246. XVII, 96.

2) cf. χαλκοχίτωνες, χαλκοθωρῆκται Il. I, 371. II, 47. 163. III, 131. IV, 199. VI, 454. — XXI, 429. 3) φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς Il. XVIII, 610. ἀστὴρ ὣς ἐλάμπετο, XVII, 592. 4) Il. XVI, 133. 5) VIII, 195. 6) ἀστερόεις Il. XVI, 134.

pediente vulnerasse legimus, milites tunica non esse vestitos defendat, id concedendum est, quod poeta arma tantum, quae corpus tueantur, commemorat, quibus tunica sive lanea, sive lintea sane non annumeranda est.

Thoraci continuabatur illud subligaculum campestre, quod Graeci vocabant ζῶμα et quod ventrem tegebat.[1]) Tenebatur autem illud subligaculum cinctu quodam, quem vocabant μίτραν,[2]) quique, quo certius sagittas propelleret bracteis erat opertus; id quod ex Il. IV, 137 apparet, ubi ille a fabris aerariis confectus esse narratur. Atque thoracis inferiorem superioremque subligaculi partem tegebat balteus, ζωστήρ,[3]) qui pretiosissimus[4]) erat.

Praeter hunc et Troganis et Graecis communem vestitum etiam στεπτοὶ χίτωνες[5]) narrantur, tunicae, quibus certo ordine schedae aureae assutae erant aut ut breviter dicam loricae hamis consertae, quibus potissimum barbari, ut Trojani,[6]) attamen etiam Graeci velut Agamemnon[7]) et Diomedes[8]) usi esse dicuntur. Milites autem levis armaturae ut sagittarios non thorace sed levi vestitu, tunica lintea usos esse secundum naturam est. cf. cognomina λινοθώρηξ,[9]) ἀμιτροχίτωνες.[10])

Denique pedes tuebantur ocreae,[11]) quae aere χαλκοκνήμιδες[12]) aut plumbo albo factae[13]) ex duabus partibus, quae super talos fibulis saepe argenteis jungebantur,[14]) compositae erant.

Atque arma erant hasta,[15]) quae pro corporis viribus saepe

---

1) Il. XXIII, 685. 2) Il. IV, 137.

3) Il. IV, 130. V, 857. ubi etiam seriem vestimentorum cognoscimus. 4) cf. παναίολος Il. IV, 186. 210. X, 77. XI, 236. φοίνικι φαεινὸν Il. VI, 219. 5) Il. XIII, 439. V, 113. XXI, 31. 6) Il. XXI, 31. 7) Il. XI, 16. 8) Il. V, 99. 113. 9) Il. II, 529. 830. 10) Λύκιοι ἀμιτροχίτωνες Il. XVI, 419. 11) cf. εὐκνήμιδες Il. I, 17. II, 331. III, 86. 156. 304. 377. IV, 80. V, 264. 324. 668. VI, 529. VII, 57. 67. 172. 311. 430. XI, 149. XII, 141. XIII, 51. 12) χαλκοκνήμιδες Il. VII, 41. 13) Il. XXI, 592. 14) ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυῖαι Il. XVI, 132. 15) ἐγχέσπαλοι Ἀχαῖοι Il. II, 131. αἰχμηταὶ Il. I; 152.

ingenti fuit magnitudine [1]) et composita erat ex hastili ligneo [2]) et aëneo acumine. [3]) Maximum autem et praesidium et ornamentum praebuit clipeus, quorum potissimum duo genera fuisse dicuntur et ἀσπίδες, qui clipei ex longo rotundi et tanta magnitudine erant, ut corpus plane tegerent [4]) et λασήϊα, qui rotundi et magna levitate erant. [5]) Atque etiam ea re inter se differre mihi videntur, ut λασήϊα quae vox ex λάσιος ‚dicht behaart' ducitur nonnisi ex coriis, ἀσπίδες autem et ex coriis [6]) et potissimum ex aeneis laminis confecti sint. Quomodo autem illae laminae alia super aliam positae sint, non satis apparet. Ex versibus Il. XX, 275. et ex clipeo Achillis descripto non omnes laminae eadem magnitudine fuisse videntur et ita positae, ut maxima quidem coria totumque clipeum texerint, ceterae autem deinceps minores priorem non plane tegentes coronam reliquerint, quas πτέρυγας nominabant. Denique ultima lamina, quae tota conspiciebatur ille umbo, ὀμφαλὸς fuisse videtur, ex quo clipei vocabantur ὀμφαλόεσσαι. Qua ex descriptione apparet medium clipeum fuisse firmissimum et partem, quae facilius perfodi potuit, oram fuisse ἄντυγα. [7]) Affixae autem erant illae laminae clavis et binis quidem singulae, quia numero coronarum i. e. laminarum semper duplex clavorum respondet. Denique exteriorem clipei partem, qui ansa in interiore parte affixa portabatur et dirigebatur, quo pulchriorem acciperet speciem diligentissime politam [8]) aut imaginibus pictis exornatum esse ex descripto Achillis clipeo et ex epithetis cognoscimus δαιδάλεος, [9]) ποικίλος, [10]) aliis.

1) ἔγχος βριθὺ Il. XVI, 141. ἄλκιμος Il. XV, 482. 2) quare Achillis breviter vocabatur μελίη Il. XIX, 390. 3) χαλκογλώχιν μελίη Il. XXII, 225.

4) στιβαρὸν, μέγα σάκος Il. XVI, 136. Il. XVII, 132. XIV, 376. 5) Il. V, 453. XII, 426. 6) ἑπτάβοιον Il. VII, 222. 7) Il. XIV, 412. XVIII, 479. 608. XX, 275. 8) κοῖλος, παμφαίνων Il. XIV, 11. 9) Il. VIII, 192. X, 76. XIX, 380.

10) Il. X, 149. XV, 479.

Denique gladius commemorandus est, qui ferreus[1]) ex balteo plerumque auro picto dependebat[2]) et in pulcherrima vagina recondebatur, quae sicut capulus argentea aut argenteis clavis exornata[3]) aut eburnea[4]) fuisse narratur.

Atque milites levis armaturae utebantur arcu, pharetra, funda,[5]) quae, ut omnia Graecorum arma, politissima arte perfecta describuntur velut arcus Dianae aut Apollinis.

Iam vero ad feminarum vestitum nos vertamus, qui non minus, quam ille virorum simplex erat. Neque enim alia veste utebantur, quam quae a Graecis nominabatur *πέπλος*[6]), quae manicis carebat et in superiore parte in duas partes scissa fuisse videtur, quae et in humeris et sub lacertis fibulis persaepe aureis continebantur.[7]) Confecta autem ex materia lanea aut ex pulcherrimo linteo — id quod, quia vocatur et *ἀμβρόσιος ἑανὸς,*[8]) *νεκτάρεος ἑανὸς* et *λεπταὶ ὀθόναι*[9]) discernere non audeo, — exornata erat vestis pulcherrime pictis[10]).

Speciem autem jucundam et corporis formae exornantem, sicut tunica virorum, ita feminarum *πέπλος* accepit zona[11]) ornamentis insigni,[12]) qua peplus cinctus in rugas optime replicabatur.[13])

Quae quum vestis perlonga esset[14]) et ita cingeretur, ut pedes attingeret, magna pars pepli super zonam quasi altera vestis dependebat, quae postea vocabatur *διπλοΐδιον* et eadem

---

1) *παγχάλκεος ἄορ* Il. VIII, 403. 2) Il. XVIII, 401. 3) *ἀργυρόηλος* Od. VIII, 406. *ἀργυρέη κώπη* Il. XI, 29. 4) Il. VIII, 404. 5) Il. X, 206. Il. III, 17. XIII, 714. II, 827. 6) Od. IV, 305. XV, 171. 7) *χρυσέιης ἐνετῇσιν περονᾶτο* Il. XIV, 180. V, 425. Od. XIX, 226. 256. XVIII, 293. ubi duodecim numerantur. 8) Il. III, 385. XVIII, 595. 9) Il. XVIII, 595. 10) *παμποίκιλος* Od. XV, 105. *ποικίλμασι κάλλιστος* Il. XIV, 178. *πολλὰ δαίδαλα ἔχων* Il. XXII, 441. III, 126. 11) *ζώνη* Od. V, 231. X, 544. *ζῶστρον*, Od. VI, 38. 12) Il. XIV, 178. ubi describitur centum fimbriis insignis. 13) cf. *πτύγμα φαεινοῦ πέπλοιο* Il. V, 313. et cognomina *εὔζωνος καλλίζωνος* Il. VII, 139. Od. XXIII, 147.

14) cf. *τανύπεπλοι* Od. XV, 363, XXI, 160. XII, 375.

diligentia, qua altera pars in rugas artabatur; id quod in statua Minervae, quae vocatur promachos optime agnoscimus, quae ex veterrimo tempore aetatem tulit [1]. Neque vero omnes feminae veste ita cincta utebantur, sed eam etiam trahebant. quamobrem vocabantur ἑλκεσίπεπλοι.[2] Sed hic vestis habitus non tam Graecis, quam Asiaticis fuisse videtur, quod potissimum Troadibus illud cognomen attributum est.

Praeterea ricae commemorandae sunt, quibus mulieres castae et pudicae, quales ab Homero describuntur, capita velabant,[3] quasque non deponebant, nisi in lusu [4] aut labore, quum viri non aderant, aut in magno luctu[5]. Materia illas fuisse lintea et insignes summa teneritate et candore ex Il. III, 141 comperimus, ubi Helena velata esse narratur, ἀργεννέῃσιν ὀθόνῃσιν, quocum versu cf. versus in Il. XVIII, 382 ubi Gratia vocatur λιπαροκρήδεμνος[6].

Alias vestes nusquam legimus. Nam illa ῥήγεα σιγαλόεντα, quae in Od. VI, 38 commemorata sunt, nescio an non vestes habeantur, sed, ut aliis locis exstat, tegmina tantum erant; et quod Homerus nymphas Circen[7] et Calypso[8] praeter tunicam i. e. virilem vestem etiam pallio vestitas esse narravit facile id quod Homerus in animo habuit, eas enim barbaras, non Graecas fingere agnoscimus. Multo vero difficilius est eos, qui contendunt' feminas praeter peplum etiam vestibus interioribus indutas esse convincere, quod verisimile sane esse videtur, Graecas his usas esse. Attamen ex versibus in Il. III, 141 et XVIII, 595 eas conjicere plane repudiandum est. Nam quae in priore versu nobis poeta narravit? Helena ab Iride compulsa se induit vestimentis linteis ἀργεννέῃσιν ὀθόνῃσιν et ad Trojae portas properat; quae vestimenta, quoniam, ut domo egrediatur sibi induit, sane

1) cf. praet. ἔξυσε καὶ ἤσκησε Il. XIV, 178. 2) Il. XXII, 105. 3) ἄλοχοι καλλικρήδεμνοι Od. IV, 623. VI, 100. 4) Od. VI, 100. 5) Od XXII, 406.

6) Il. XIV, 185. κρήδεμνον νηγάτεον, quoniam novissimum quodque pulcherrimum habebatur. 7) Od. V, 230. 8) X, 544. cf. Il. XXIV, 230.

alia esse non possunt nisi peplus aut potius ricae, quas domi deposuerat. Neque ex altero versu illae interiores vestes conjici possunt, ubi juvenibus tunicis vestitis virgines insignes ὀθόνῃσιν opponuntur, quae vestes, quoniam virgines cum ornatis juvenibus saltantes narrantur non interiores, sed ricae, vel potius quod χίτωνι oppositae sunt pepli habendae sunt. Denique iis respondeam, qui, quod vestis optime artabatur contendunt, materiam fuisse laneam, rem nihilominus esse ambiguam, quod peplus aperte vocatur ὀθόνη, sed tamen linteum longe aliud fuisse videtur, ac nostrum: et molle et lanosum non glabrum. [1])

Denique pedum tegmina erant talia, qualia virorum: soleae, quae loris taurinis, argento aut auro ornatis ad pedes alligabantur[2]).

Etsi igitur vestimentum simplicissimum erat, tamen quod arte cingebatur et persaepe lavabatur semper exhibuit magnam pulchritudinem; quo accedit quod feminae, ut cujusque temporis, ita etiam veterrimi non ignorabant et vestium et corporis pulchritudinem aureis et argenteis ornamentis augere. Utebantur collaribus, ἁρμοὶ χρυσοῖ,[3]) inauribus, ἕρματα τρίγληνα μυρόεντα,[4]) annulis,[5]) fibulis,[6]) quae vestem et crines continentes omnes maxima arte elaboratae et pretiosis gemmis distinctae erant.

Atque fibulae aureae, quae comas continebant et ornabant, vocabantur ἄμπυκες[7]) et dividebantur postea, in στεφάνας[8]) coronas, quae in fronte paullulum surgebant et attenuabantur ad occipitium et στεφάνους, quae ab omni parte eadem erant altitudine.

---

1) cf. Friedrichs Baust. pg. 23... Bis in die Hälfte des 5. Jahrhunderts trug man in Athen den leinenen jonischen Chiton. . . . 2) Od. XI, 613. χρύσεα πέδιλα cf. ἀργυρόπεζα Θέτις Il. I. 538. 556. IX, 410. XVI, 222. 574. XVIII, 127. 146.


3) Od. XVIII, 247. 4) Il. XIV, 182. Od. XVIII, 297. 5) Il. XVIII, 401. 6) Il. V, 425. XIX, 226. 256. XVIII, 293. 7) Il. XXII, 469. 8) Il. XVIII, 597.


Denique κεκρύφαλος[1]) commemorandus est, quod reticulum occipitio impositum comas continebat et cujus margo, quo firmius reticulum adhaereret redimiculo quodam vinciebatur ἀναδεσμὴ πλεκτὴ.[2])


Haec sufficiant de vestibus atque omnino de corporis forma universa habituque. Iam relinquimus hanc partem nostrae dissertationis, etsi mihi non alienum videtur ex iis, quae Homerus de corporis forma dixerit quosdam viros fortes breviter adumbrare; attamen quod de deorum formis, ad quas nunc aggrediar agere nihil aliud est, quam homines describere perfectissimis corporis formis insignes, homines ipsos describere facile praetermittere possum.

---

1) u. 2) Il. XXII, 468.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 046 560 A


0 003


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 046 560 A